

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||  
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||  
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad  
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni  
magni ad trigesimum ...

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Quod Nicomediae, & in aliis ciuitatibus ecclesias fabricauerit. Cap. XLIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29861**

stabiliores. Ciuitatem autem ipsius nomine nūcupatam, eximio splendore illustrare instituens, permultis templis, hoc est præclarissimis ecclesiis in honorem martyrum, illustrissimisque ædibus sacris adornauit, quæ partim in suburbibus erant, partim in ipsa vrbe, quibus tum martyrum celebravit memorias, tum ipsam vrbum martyrum deo cōfescravit. Ad summam, cum sapientia diuina esset imbutus, ciuitatem quam sui nominis appellatiōne donandam statuerat, primum omni eidolorum cultu perpurgari debere censuit, ut nusquam in illa vel statuæ eorum, qui dii putantur, in templis honoratae, vel altaria impura cruxis contagione inquinata, vel hostiæ ignis incendio penitus exustæ absumptæ q; vel festa demonum nomine celebrata, vel aliud quicquam eorum, quæ apud superstitiones usurpari soleat, omnino apparerent.

*De insigni crucis in palatio, & Danieli in fontibus.*

CAP. XLVIII.

**V**Ideas etiam adhuc, licet, apud fontes in medio foro positos pastoris præclaris symbola, illis qui sacris literis eruditæ sunt satis cognita. Danielem quoq; cum leonibus in ære incisum, auriq; laminis splendescensem. Tantus item & tam diuinus amor imperatoris animum complexus est, ut in ipso palatii introitu, in ædificio omnium excellētissimo, in medio recti laqueari inaurato, in tabula maxima explicata, salutaris passionis insigne, ex lapillis preciosis cuiusc; modi, auroq; multo, politè elaboratis confectum, figendum curauerit. Istud imperatori sanctissimo regni firmū videbatur esse propugnaculum.

*Quod Nicomedia, & in aliis ciuitatibus ecclesiæ fabricauerit.*

CAP. XLIX.

**H**is igitur ornamenti suam ciuitatem illustrauit. Vrbem autem, quæ in Bithynia facile primas fert, pari ratione ecclesia magnifica & insigni, monumenti loco, sumptu ex suis thesauris suppeditato honorauit: ibique seruatori suo contra hostes & ad-

## EVSEBII DE VITA

& aduersarios Dei, præclara victoriæ erexit trophy. Ciuitates item, quæ apud cæteras gentes videbantur, vel maximè propter splendorem excellere, templis egregiis magnificisque exornandas curauit: sicut ex præcipua vrbe totius orientis, quæ nomen traxit ab Antiocho, constare poterit. In qua tanquam in ciuitate illius gentis ac regionis primaria, ecclesiam tum propter amplitudinem, tum propter pulchritudinem maximè eximiam Deo dicauit: quippe vniuersum templum longis porticibus extrinsecus adiectis circundedit: sanctuarium autem interiorius ad infinitam erexit altitudinem: quod quidem ad speciem solii octangularis fabricatum, multis ædicolis exedrisque vndique constructis, compluribus item tabulatis super terram eminentibus, denique fornicibus subter eandem abditis, ex omni parte circumsepta fuit. Quam etiam permagna auri ærisq; copia, & reliquæ pretiosæ materiæ ornamentis decorauit.

*Quod apud querum Mambre ecclesiam fieri iussit.*

CAP. L.

Ista quidem erant augustissima templa ab imperatore hactenus consecrata. Verum, ut audiuera<sup>t</sup> ipsum seruatorem, qui nuper in mundo versatus fuisset, etiam olim sanctis viris ex Palæstina propter querum Mambre (sic enim appellabatur) Diuinitus apparuisse, ibi quoque Deo viso templum exedificari mandat. Gentium ergo prefectis imperatoris voluntas per literas ad singulos scriptas significata est: quæ eos admonuit, ut quod esset imperatum, illico ad exitum perduceretur. Nobis etiam, qui hanc historiam literis mandamus, epistolam accuratius scriptam misit. Cuius exemplar, mihi consaneum videtur huic præsenti sermoni adnectere, quod imperatoris sanctissimi studium & diligentia plenius intelligatur. Proinde quo liberè pro his, quæ gesta accepterat, nobiscum expostularet, ista totidem verbis prescripsit.

*Victor*